



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Das ist: Die heilige Char-Wochen ... Dritter Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augsburg, 1719

Interpres Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76494)

INTERPRES AD LECTOREM.

Linter ephebos trivisti, Germane Lector, quem uber-
rimi, suavissimisque ingenij Romanus quidam exul
per adversa ad saniora compulsus *de Tristibus* in-
scripsit librum, variisque præceptis ingeniosè in-
structum ab exilij sui Provincia in orbis urbem
misit. Parve, nec invideo, sine me liber ibis in urbem. Et
tum præcipuè omnem pompam, ornatum, & fucum devitare,
& non nisi tristibus convenientem habitum gerere jubet.

Ovid. de
Trist. lib. 1.
Eleg. 1.

Nec te purpureo velent vaccinia fuco;

Non est conveniens luctibus ille color.

Nec titulus minio, nec Cedrò charta notetur &c.

Ita ille de *Tristibus* suis, quorum causam fuisse crimina sua inge-
nuè fatetur :

Pœnitet, & factò torqueor ipse meò.

Et tandem nihilominus ingenio suo confusus commiserationis la-
crymas à non nemine lectorum suorum sibi pollicetur.

Invenies aliquem, qui me suspiret ademptum,

Carmina nec siccis perlegat ista genis.

Non tamen ignorus etiam crimina sua sibi passim objectum iri:

Protinus admonitus repetet mea crimina lector;

Et peragar populi publicus ore reus.

Pari ferè modò & ego de provincia, homo Provincialis *de Tristi-
bus* librum tibi submitto in urbem, optime lector sunt autem ea,
quæ continet, *Tristia* omnino *Tristiſſima*; de Patiente nimirum,
& Moriente Dei Filio; quorum scilicet intuitu *Tristis* tacta est
anima ejus usque ad mortem. Hæc habet liber iste, ceterà sine
pompa, sine ornatu saltem affectato, sine fuco: totus quantus ad
hoc unum factus, ut tu agnoscas crimina tua *Tristium* istorum
causam, & fontem esse, aliòsque doceas, idem sapere. Quare le-
ge librum istum *de Tristibus* adèò divinis, atque in eo.

Matth. 26.
v. 38.

Protinus admonitus damna tua crimina lector,

Placatum misero si cupis esse Deum.

Scio, ingens est vis ubique librorum; ita ut ne *ipse mundus capere*
eos jam *posse* videatur: sed remove paulisper inutiles, & vânos,
noxiosque concrema, & hunc suffice.

Joan. 21.
v. 25.

Vaticinor, moneásque, locum date sacra ferenti.

Non mihi; sed magno poscitur ille Deo.

Neque est, quod causeris, quod ex *vico pagano* modò adveniat,
ideòque tanquam rejectitium continuò destines.

Ovid. de
Ponto lib.
1. Eleg. 1.

Ad vicum vendentem thus, & odores,

Et piper, & quidquid hortis amicitur ineptis.

Habes enim Barziam & Barziam quidem in sacra hebdomade de
Deo patiente concionantem. Quid ego de libro hoc sentiam,
dicam compendiò verbis, quæ apud doctissimum Barradium divo

Horat. lib.
2. Epist. 1.
in fine.

Barrad. to.
2. ad Lect.

Chry-

INTERPRES AD LECTOREM.

Chrysofotomo dantur, & ego libro huic inscribo: *Hic sol est, qui radij nubila pellit corde! hæc cælestis Syren, qua dulci cantu oblectat animum: hoc Homericum Nepenthes, quod mæstitiam fugat; hæc odorifera Panacea, qua vulneribus medicinam affert; hoc divinum Nectar, quod humanum pectus reficit, ac recreat; hæc divina pascua, quibus Christi oves aluntur.* An hæc minus verè dicantur, tuum est legendò periculum, & experimentum facere.

Porro interpretationis modum, & stylum triplicem, qui in tripartito hoc Quadragesimali tibi occurret, ne mireris, ejus rationem sic accipe. Est Ecclesia circa verbi divini prædicationem *Mulier illa fortis, quæ teste Salomone facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.* Et verò in privata hac nostra navi, quæ ex Regione longinqua alterius linguæ divini verbi mercimonia nostris terris semota, tanquam selectum panem portat, uno ab hinc anno præter Institorem duo eramus; unus Navarchus ad clavum sedens sublimi locò, sublimiori meritò, & scientiâ; alter ego, Remex ad transtra hæc natus ultimò pro meritis locò: & tum appulit ex Gadibus merx præclara admodum *Mariale, & Sanctorale Barziæ Episcopi Gaditani.* Sed ecce! hæc *quasi navis* nostra pyratibus visa est, infestanda protinus. Quod ubi Institor animadvertit insuper *militem præsidarium* imposuit suis sumptibus. Hic ergo confestim, Tentavit quoque rem, si dignè verterè posset:

Et placuit.. naturâ sublimis, & acer &c.

Nec mora, Navarchus, Miles & Remex laborem partiti; Navarchus, quem ex officio suspicimus, primam, Miles alteram, & ego Remex tertiam partem aggressi sumus. Solvimus è littore Gaditano, enavigatòque mari ligustico, tempore hoc satis tumultuoso, in Germania portum tenemus; tu Lector Germane, sedula lectione laborem, & navim nostram corona.

Interim *Evcharistiali*, tomo inter festa Barziæ primo, & ob materiæ sublimitatem planè primario, jam suus etiam utpote velleri huic prorsus aureo, Jason est. Et sanè prodeat, & fulgeat, verè ut *Vellus aureum* in toto terrarum orbe totus Barzia Pastor, Concionatorque prorsus incomparabilis: *aliosque* (ut verbis clarissimi Doctoris & Interpretis Barradij rem dicam) *ubique gentium pastores ad nobile pastoralis vigilantia certamen juvet, ac provocet.* Vale.

Proverb.
21.
Bed. hic.
Auth. im.
perf. in
Matth. 23:

Cornel. à
Lapide hic.

Horat. lib.
2. Epist. 2.

Barrad.
rom. 7. in
medicam.



Regi